Sexto 1554.

115)

S. D. Doctissime Vir et Charissime frater: Non negotia impediunt, etsi non multum mihi est ocij, quo minus sepe scribam, sed non sepe certos ad te tabellarios habeo. Nec scio, quando hanc Epistolam accepturus sis, quam scripsi, cum jam pacato littore Saxonico Dux Brunsuicensis Henricus rur-sus mitteret exercitum ad Moenum. Dei beneficio adhuc Halcyonia sunt in his vicinis Academiis, et docentium concordia est. In Pannonia aditu Matthias Lauterwald vetus amicus noster presagiis disputationum sine vera causa turbat Ecclesias, cum quidem sepe eum amanter ob-testatus sim, ut naturam rixatricem moderaretur, sed talia sunt deliria postremae etatis mundi, quae ut filius Dei sanet, toto eum pectore oro. Mitto tibi pagel-las, quarum lectionem spero tibi non insuavem fore. Exem-plum dabis aut mittes Floriano Viro prestanti generis Nobilitate et virtute. Mitterem et alia, si scirem hunc fasciculum certo ad te perventurum esse. Bene vale, carissi-me frater. die solstitij estivi. 1554.

Philippus.

Valde te adhortor, ut si qua erit occasio, alloquaris Casparum a Nidbruk in aula Vir doctus et honestissimus.

Inscriptio.

Clarissimo Viro, eruditione et virtute prestanti D. Mattheo Collino in Academia Pragensi Fratri suo carissimo.